



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

ludæis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

pauperes in humanioribus literis aliisque facultatibus gratis doceat. c. quia nonnullis. 4. §. verum. c. prohibent. §. sane. hic.

Tenetur enim Ecclesia, sicut pia Mater, necessitati eorum providere, qui parentum opibus non possunt juvari. c. quoniam. c. qui nonnulli. eod.

Qui docendi licentiam vendit, aut idoneæ personæ licentiam docendi petenti interdicit ne doceat, beneficio Ecclesiastico privatur. c. i. & tot. tit. hoc.

### *De Iudeis.*

T I T. V.

**I**udeos hic dicimus non secundum carnem, sed secundum fidem; id est, non eos qui sunt ex natione Judaica (Tales enim possunt esse Christiani); sed eos qui veteri Testamento, ad literam superstitione intellecto, fidem habent; novum vero rejiciunt. c. Martha. §. cæterum. de celebre. Missar. & c. translato. de Constit.

Hi aliquando eodem cum Christianis jure utuntur; aliquando deteriori.

*Eodem jure*: in contractibus, matrimoniis, leges Christianorum sequuntur. l. nemo Iudeorum. 7. C. hic. ut Christiani die Dominico; ita nec hi die Sabbati inviti ad judicium trahuntur; a Christianis violari prohibentur. l. nullus. l. die Sabbato. l. in Synagogam. C. eod. ubi vide Aphorismos nostros.

*Deteriori jure*; Quia ab honoribus & dignitatibus removentur; c. cum sit. 16. hic. Novas Synagogas extruere prohibentur; c. 3. 7. hic. l. ult. §. 1. C. eod. Ab Actis legitimis repelluntur; c. alieni. 2. qu. 7. Christiana mancipia, c. i. hic. famulos, nutrices, obstetrices Christianas, c. ad huc. 8. & c. et si Iudeos. 13. eod. habere prohibentur; Ab assidue Christianorum communione, c. sape. 8. qu. 1. & connubiis, c. cava. 15. & cc. seqq. 28. qu. 1. abstinere tenentur; In die parasceves ostia & fenestras clausas

clausas habere coguntur; c. quia. 4. hic. In diebus passionis dominicæ in publicum prodire vetantur; c. in nonnullis. 15. §. in diebus. eod. Habitum, per quem à Christianis discernantur, utriusque sexus, uti jubentur; d. c. in nonnullis. Judæi Medici Christianos in infirmitibus invisere, eis medicamenta præbere, in eisdem cum eis balneis esse prohibentur. c. nullus. c. omnes. 28. qu. i.

Quæ si Judæi non servaverint, puniuntur; vel in personis, ut c. sepe. dift. 28. vel pecuniariter, c. cum sit. hic. vel spiritualiter, sed indirectè, ut cum fideles eis participantes excommunicantur. c. et si Iudeos. hic. c. quanto. de usur. c. de terris. de decim.

Christianum mancipium si habeant, illud, quicunque Christianus, datis duodecim solidis, vel ad ingenuitatem, vel ad servitium redimere potest. c. i. & 2. hic.

Judæi qui prædicta servant, nec ad fidem Christianam cogi: c. sicut Iudei. 9. hic. nec in personis, nec bonis violari; nec in festivitatibus molestari, nec eorum cœmeteria violari, corpora humata effodi debent: qui contra faxit, vel officii privatione, vel excommunicationis censurâ plectitur. c. sicut Iudei. 9. hic.

### De Saracenis.

#### T I T. VI.

**S**Aracenos hic itidem intelligimus, non exigente, sed religione.

Accipiuntur & hic propaganis, seu gentilibus; quamvis propriè gentiles sint, qui idola colunt, eisque sacrificant; l. 2. C. de pagan. Saraceni verò utrumque testamentum, vetus & novum, saltem ex parte admittant, sed multifariam peccant; Christum Salvatorem esse negantes; loca erroribus suis contraria, à nobis esse corrupta afferentes.

Hi